

prudentiae sit. Summus in utroque error. Qui enim justum  
 judicat injustum, injustum vero justum, execrabilis erit apud  
 Deum. Ut quid abundant justitiae imprudenti?¹) Salomon ait.  
 Neque iterum prudentia, sine justitia est. Pietas enim in  
 Deum initium intellectus. Quo advertimus illud ab hujus  
 saeculi translatum magis, quam inventum sapientibus, quia  
 pietas fundamentum est omnium virtutum. Justitiae autem  
 pietas est prima in Deum, secunda in patriam, tertia in  
 parentes, item in omnes: quae et ipsa secundum naturae  
 est magisterium. Siquidem ab ineunte aetate ubi primum  
 sensus infundi coeperit, vitam amamus tanquam Dei munus,  
 patriam parentesque diligimus, deinde aequales quibus sociari  
 cupimus. Hinc charitas nascitur, quae alios sibi praefert,  
 non quaerens quae sua sunt, in quibus est principatus  
 justitiae. Omnibus quoque animantibus innascitur primum  
 salutem tueri, cavere quae noceant, expetere quae prosint:  
 ut pastum, ut latibula, quibus se a periculo, imbribus, sole  
 defendant, quod est prudentiae. Succedit quoque ut omnium  
 genera animantium congregabilia natura sint: primo generis  
 sui ac formae consortibus, tum etiam caeteris: ut videmus  
 boves armentis, equos gregibus et maxime pares paribus  
 delectari: cervos quoque cervis, et plerumque hominibus  
 adjungi. Jam de procreandi studio et sobole, vel etiam  
 generantium amore, quid loquar, in quo est forma justitiae  
 praecipua? Liquet igitur et has, et reliquas cognatas sibi esse  
 virtutes. Siquidem et fortitudo, quae vel in bello tuetur a  
 barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latro-  
 nibus socios, plena sit justitiae: et scire quo consilio defendat  
 atque adjuvet, captare etiam temporum et locorum opportu-  
 nitates, prudentiae ac modestiae sit: et quum temperantia  
 ipsa sine prudentia modum scire non possit, opportunitatem  
 noscere, et secundum mensuram reddere, sit justitiae. Et

1) Prov. 17.